

EXCERPTA BOBIENSIA
(SCHOLIA GRONOVIANA)

AD ACTION. IN VERREM II LIB. I.

... ponere sine illis localibus faleris melius est. Nam § 45.
tanto maior fides adquiritur nostris criminacionibus,
quanto videmur tragoeadia praetermissa veluti nuda pro-
positione esse contenti. Velim tamen et in hac brevitate
5 perspicias non abesse Ciceronis studium τῆς αὐξήσεως.
Id enim egit, ut quamvis proponeret *<tantum>*, tamen
acerbitatem mali facinoris extolleret. *Ignem* parum erat
dixisse: subiecit *ex lignis viridibus*, quod est intolerabilius;
addidit etiam *umidis*, quo spiritus magis magisque
10 auferri solet; superposuit *in loco angusto*, ubi densior
fumus animas haurientes urget. Post haec deinde
intulit *hominem ingenuum domi, nobilem, p. R. socium*
atque amicum, fumo excruciatum semivivum reliquit.
Totum, si gradatim consideres, αὐξητικὸν est. Et
15 nihilominus visus est tantum proposuisse, non et ex-
aggerasse, cum robustius non potuerit augere. Ita, si rem
spectes, magna copia est, si verba numeres, summa brevitas.

Eaque in onerariam navem suam coicienda § 46.
curavit.

20 Copiam rapinarum et signorum multitudinem de modo
navis ostendit; quippe, si ad haec spolia templi avehenda
oneraria navis admota est, appareat quantitas oneris de
alvei magnitudine.